



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

LI. In Domin. XXII. Post Pentec. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. Arg. Numisma census, numini pendendum, ad Lydium lapidem probatur.

---


---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

& his verbis Dominum ipſius conve-  
nit: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in  
vinculis Onesimo, qui tibi aliquando inuti-  
lus fuit. Si habes me socium, suscipe illum,  
sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, aut  
debet hoc mihi imputa.* Ego Paulus scripsi  
manu mea, ego reddam. Quæ verba ex-  
pendens S. Chrysostomus exclamat:  
Quem lapidem ista non flecterent,  
non emollirent? Quam immanem licet  
belluam hæc in mansuetudinem non  
verterent? ipsumque humanissimè sus-  
cipere persuaderent? *Scriptis hæc Pau-  
lus & persuasit: Eadem Christus, ea-*

dem Deus noster nobis inculcat: *Mihi  
vindictam ego retribuam. Dimittite &  
dimittemini. Mihi dona hanc injuriam  
ego reddam; mihi imputa, satisfaciam.*  
Hancne illi gratiam facere recusabi-  
mus? Non obtinebit à nobis Deus no-  
ster, quod Paulus ab alio sibi simili?  
Demus, demus hoc illi, quatenus ma-  
jore erga illa fide ac spe ferri possimus,  
& compressis exacerbati animi  
commotionibus arctius in-  
vicem complectamur.  
Amen.




## CONCIO LI.

IN DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei,  
Deo. Matth. 22.

### ARGUMENTUM.

NUMISMA CENSUS, NUMINI PENDENDUM,  
AD LYDIUM LAPIDEM PROBATUR.

I.  Allit me, num to-  
ties latent ca-  
nes, quoties hoc  
tempore canina  
hæc vox, ac litera  
auditur: *Reddite  
Reddite.* Multiplicant illam pro Cæsa-  
ris parte Oeconomi, Theſaurarii, No-  
tarii; iterant eandem Ecclesiastæ, quin  
& ipsa Conscientia à parte Numinis:  
*Reddite, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari  
&c.*

Tradit *Ælianus* furum quempiam

intempeſta nocte templum *Æſculapii*  
Athenis effregiſſe, atque inde pretioſiſ-  
ſima quæq; alportaſſe. Notavit id canis  
in vicinia, qui tamdiu latrando furem  
inſecurus; quoad ſcelus ſuum propa-  
lam faſſus eſſet, pœnaſque meritas de-  
diſſet. Ad eundem prope modum,  
(ſi tamèn proſus nondum obſurdui-  
mus) nos ipſa inceſſanter allatrat, at-  
que infeſtat conſcientia: *Reddite Red-  
dite, quæ ſunt Dei deo.* Reddite Numiſ-  
ma census. Quodnam illud, quod  
Deo reddere obſtringimur?

*Ælian. l. 7.  
c. 13. hiſt.  
animal.*

## PARTITIO

Hugo in e.  
7. Mats.

Eminentissimus Cardinalis Hugo explanans D. Matthæum, trifariam cœlestis curiæ monetam ex Ecclesiæ sensu definit. Ait enim: *Moneta sunt opera bona, quibus emitur regnum calorum, videlicet: Ieiunium, Eleemosyna, Oratio. Hæc sunt moneta Regis nostri. Causam subdit: Quia in his invenitur imago ejus secundum tres substantias in ipso, carnem, animam, naturam Verbi.* Per jejunium assimilamur carni ejus, per Eleemosynam animæ, per orationem naturæ Verbi.

## PARS I. PROTHESIS.

## S. I.

*Moneta prima probata in cœlesti Curia, est Ieiunium.*

Ieiunium  
moneta ad  
solvenda  
debita

**I.** Ergo prima moneta, quam accurare, & coacervare obstringimur est Ieiunium, afflictio animi, mortificatio, seu vexatio corporis. Hæc moneta cuditur, quum aut ultrò assumptis flagellis, carnem nostram excarnificamus; aut à deo immixtas angustias, ac miseras in patientia sustinemus.

Imago sacri  
Soc.

Inter emblemata, Imaginis primi sæculi, societatis nostræ, vilitur monetaria incus, cum forma matricæ, adjecto lemmate: *Dant pretium plage.* Ictibus incudis accedit metallo & pretium, & effigies prætiosa regum. Suppar nostræ conditio naturæ est ex ipsis plagis imaginem Christi, quem sequimur referimus, & ab ipso nobis crescit gloria ferro.

Plato apud Eusebium naturam nostram describens, ait: *Omnes in orbe fratres sumus, sed cum Deus nos fingeret aurum cum illis miscuit, qui apti sunt ad regimen; argentum cum illis, qui armis urbem defendunt, ferrum & as, agricolis infudit.* Apparet hoc aurum, in quorundam cœsarie, argentum in facie, ac ceruice, as in naso aut cuprum, ferrum in aliis membris, sed si signatum non est, æstimabile non est in aula regis superni; nisi cudatur, nisi imago Christi crucifixi imprimatur, non probatur. *Dant pretium plage.* Quò quis plura, ac graviora pro dei gloria sustinuerit, eò ditior erit. Accumulat opes, qui non lædit, à quo læsus est, qui læsus remittit, & cui potuit nocere, parcit; qui æquanimitèr pro Domino tuo adversa suffert, aut etiam animose in se ipsum desavit. *Dant pretium plage.* Has quisquis subire formidat, imaginem carnis Christi in se suscipere detrectat.

De uxore sua olim, vel ridendo, dixit Philosophus, illam si vel aurea foret, nullâ tamen unquam monetâ signandam. Cur istud? Quia nimirum nec Ætium, nec verbum asperum marti ferre potuit. Potiore jure id in eos quadrat, qui sine ictu nummum signari, sine ulla doloris, morbi, aut adversi tolerantia Christi in se imaginem recipi posse ominantur. Sic sane aureus frater, si ictui ferendo impar est, moneta esse Numinis nequit. Sic soror aurea, si verbo cedit, aut exasperatur, moneta esse proba refugit. Sic alter pius, modestus, devotus nisi tollerans nisi patiens una fuerit probus, ac probatus non reputabitur. Omnis enim cœlestis patriæ moneta signati

signari debet, idque in forma T. seu signum crucis Christi. Hac qui destituitur ibidem neququam acceptatur. Etenim quemadmodum non omnes Philippi in terris probati sunt; ita ne in cœlis valorem obtinent.

Mundus  
Crucifixus

Gal. 6. 14.

III Invenire est alium signatum cruce equitum, suntque ii, qui sensu quantumvis distorto, illis Apostoli verbis gloriari queunt: *Mihi mundus Crucifixus est.* An enim non ingens Crucifixus mundus? Certe sudavit ille potentissimè in Noacheo diluvio, usque ad mortem omnium prope sensibilibium. Captus est frequentissimè, & à militibus jam ad Assyrios, ac Persas, tanquam ad Annam & Caipham ductus, Ab his ad Græcos, seu Alexandrum, veluti alterum Herodem tractus; Tandem ab his ad Romanos seu Pilatum traductus. Flagellatus itidem gravissime, quâ grandine, quâ virga pestilentia, quâ loro servitutis, qua bacillis cædium. Coronâ ab eodem momento, ex quo tellus jussa proferre spinas, & tribulos germinare, spineâ non unâ redimitus. Bajulat tandem crucem multifariam, eiq; affixus agonizat, sole identidem eclypsim subeunte. Ubi demum animam ager, tota cœli machina fatiscet, ac dissolvetur. An non igitur Crucifixus mundus? An non multis impressus, & à multis adoratus? Neque enim facilis inventu est, qui eum generoso pede proculcet; aut impressam medullis non circumferat. Sed non idcirco moneta probata reputabitur.

IV. Invenire est alios cruce, Car-

vacens dicta, signatos. In ea videntur duæ cruces simul junctæ, & una quidem paululum minor, altera autem major, ac latior. Quâ sat appositè arbitror virum, ac mulierem adumbratam, Sæpius enim vir uxoris, & uxor viri crux est. Sæpius & suam propriam, & consortis sustinere cogitur. Si inter eos vir jure suo primatum teneat, & uxor sublit in omnibus, ac pareat, minorem ille, majorem ista crucis hujus formam conficit. Si è contra uxor dominetur, viro obsecundante eidem, tum hic graviolem, illa leviolem partem succollare cogitur.

Sensit credo gravitatem crucis hujus simplex ille, qui cum forte audisset verba illa Evangelii: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* uxorem susceptam in humeros, tulisse fertur ad templum, exorando enim, quatenus tolleret eam Dominus à se. Sensit & ille alter, qui jussus demergere, quod gravissimum, apprehendit uxorem dicens: Hoc meum onus, hæc crux gravissima est. Sentiant si quando moribus, aut conditione, aut ætate nimium dispares jungantur: tunc enim scitissime sibi aptare illud S. Pauli queunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Ego illi crux, ille mihi, simul in crucem acti sumus.

V. Invenire est alios ad formam crucis S. Turibii, vel potius *turobionii* effigiatos. Ipsimet sibi, nescio quæ ligna fabricant, ex iisque cruces componunt, vel certè fabricatas ab aliis vermiculis, aut puncturis variis ad majorem suum dolorem, vel potius impatientiam incrustant. Illi nimirum, qui phantasiâ suâ illas cruces compingunt, &

Mulier  
Cruce

Mar. 8. 34.  
Luc. 9. 23.

Rom. 6. 6.

& solâ imaginatione dedolant, aut erigunt.

VI. Invenire tandem, qui latronum cruce premantur, eamque ut inviti tolerant; ita contra eam fulmant, illamque detestantur. Omnes isti videntur esse literati signo T. & esse Philippi, seu moneta cruce signata. Sed numquid omnes probantur? Numquid cuncti inter probatam calculantur monetam? Haud equidem. Habet & Diabolus suos Philippeos, habet suos suspensos in cruce Amanos, habet Pincernas, habet martyres suos, habet reges ipsos. Premit & ille suam monetam cruce multò graviore, ac intolerabiliore, quam ullus alter.

VII. Distinguit itaque hanc monetam ab invicem S. Paulus dicens: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, q. d. Illi qui in thesaurum Christi inferuntur sunt hi, qui carnem, ac concupiscentiam, & naturam corruptam, cum invisceratis, perversâ consuetudine, vitiis; suisque concupiscentiis crucifixerunt. Illi sunt, qui carnem ipsam viciatam, quasi fomitem concupiscentiarum castigant, & per jejunia, cilicia, labores, pœnitentias subigunt. Illi sunt, qui in carne sua imaginem carnis Christi confixâ, adnituntur circumferre. Ut quemadmodum Christes spontanea voluntate, amore Dei Patris sui, & nostri, sese omnibus abdicavit voluptatibus, gravissimisque subiecit pœnis: ita ipsi amore ipsius renuntiant blanditiis, ac mundi illecebris, se ipsos castigant, & immensas desuper afflictiones patienter, immo hilariter perferunt.

Hoc à nobis exposcit Princeps Apostolorum, dicens: *Christo in carne passo,*

*& vos eadem cogitatione armamini.* Videte, ut cum Christus Dominus vester, tantas afflictiones in corpore suo exceperit, qui alioqui, ut beatus, omnibus lætitiis incedere, omnibus voluptatibus perfrui debuisset; & vos ad tolerantiam adversitatum excitemini. Videte, ut quemadmodum Christus crucifixus est pro vobis, ita & vos crucifixi sitis mundo; ejusque pompis, ac vitiis. Videte, ut tota vita vestra, eam proferat figuram, ac speciem, quam habuit Christus cruci confixus.

Hoc intendebat dicere Paulus verbis supra citatis: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo;* id est S. Bernardo Interprete: *Quæcunque mundus reputat crucem, ego delicias reputo, & quæ mundus ducit in delitiis, ego crucem existimo.* Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt, puta delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes, quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa totis complector præcordiis.

Quisquis hac ratione constitutus est, qui hunc in modum cudit argenti suum, carnem suam, in sacculum probatissimæ monetæ, eò copiosiorè habiturus est, quò generosius corp⁹ suū, & vitiosas animi sui affectiones edomuerit.

## §. II.

*Altera moneta probatissima  
Eleemosyna.*

VII. **P**ergit præfatus Cardinalis, & alteram monetam probatissimam assignat Eleemosynam. De hac scribit sapiens: *Eleemosyna viri, quasi sacculus cū ipso.* Quemadmodū in sacculo viaticum

*Eleemosyna  
sacculus in  
exhaustus.*

*Eccli. 17. 18*

Ooo

repo-

*Moneta je-  
junii qua  
probata.  
Gal. 5. 24.*

reponitur, ad quod in necessitate re-  
curratur; ita Eleemosyna in morte, ac  
via ad alteram vitam nobis subvenit,  
omnesque necessitates profligat. *Eleemo-  
syna viri quasi sacculus cum ipso.* Illa  
Doctore D. Ambrosio nobis hospiti-  
um futura mansionis conducit: *Sola*  
*inquit nos sequitur misericordia, quo cœ-*  
*lestium pravia mansionum, pecunia vilis*  
*usura, tabernacula defunctis acquirit æ-*  
*terna.* Ubi enim hinc emigraverimus  
nullus futurus à latere, à pedibus, ab  
aliis obsequiis, præter ipsam. Tunc e-  
nim pompa omnis ad sarcophagum  
allisa in spumas abibit. *Hucusque per-*  
*venies & hic confringes tumentes fluctus*  
*tuos.* Tunc amici terga vertent, nec ul-  
tra, quam ad tumulum prosequentur.  
Tunc considerabis ad dextram, & si-  
nistram, & non erit, qui te cognoscat.  
Sola misericordia, si fortè illam tibi in  
vita desponsaveras, comes futura, &  
provisura in omnibus. *Eleemosyna vi-*  
*ri quasi sacculus cum ipso.* Hæc con-  
tracta peccatorum exstinget nomina,  
& ab ipsis Orci vindicabit ergastulis.  
Nam ut ait S. Augustinus: *Ante fores*  
*gehenna excubat & neminem sinit in car-*  
*cerem mitti, & quicumque misertus fuerit,*  
*miserabitur ejus, & si quis non fuerit mi-*  
*sertus, non miserabitur illius.* Ipsi, teste  
S. Chrysostomo, cœli aperiuntur, &  
ea veluti regina intrante (cum suo cli-  
ente) nullus sanctorum, qui portis  
assistunt aude dicere, unde es tu? vel  
unde venis, Regina namque est, quid-  
quid vult obtinet.

IX. De peccunia nostra cecinit  
Horatius:

*Et genus, & formam regina pecunia donat.*  
*Ulla fibulam, illa fascies, illa clavus num-*

dinatur; illa ex Therfite formatur Nar-  
cissum; ex surdis auritos, ex talpis lyn-  
ces. Qui ante hac cœcum se domi sen-  
tiebat, habitam, aut collatam pecuniam, illico  
videt officia, Capitaneatus, mitras.  
Qui ante surdaster fuerat nec bonum  
verbum ab ullo audivit, jam evadit  
auritus, audit vota, promissa, gratula-  
tiones. Qui mutus, nec audebat hircere  
jam loquitur disertissimè, cuncta ad  
miraculum prope illi obveniunt. Par  
est ratio Reginae misericordiae apud  
superos, ipsa conciliat aures, inflectit  
oculos, confert visionem benevoli  
Numinis &c. Et genus cœleste, &  
formam filiorum Dei regina Eleemo-  
syna donat.

Hanc monetam, hunc sacculum  
quatenus sedulo accuremus, monet ip-  
se vivorum, ac mortuorum Judex; di-  
cens: *Vendite qua possidetis, & date Ele-*  
*emosynam, facite vobis sacculos, qui non*  
*veterascunt, thesaurum non deficienteum*  
*in caelis.* Date modicum, ut accipiatis  
centuplum; date terram ut accipiatis  
regnum; date micam, ut accipiatis to-  
tum; date nummum ut accipiatis cœ-  
lum; date temporalia, ut accipiatis æ-  
terna. *Quidquid pro anima vestra fe-*  
*cetitis vestrum est; quidquid hic non*  
*dispensaveritis perditum est. Quid-*  
*quid pauperi contuleritis habebitis in*  
*centuplo; quidquid reconditum ser-*  
*vastis habiturus est alter.*

X. Attamen ut moneta ista proba  
sit, ac recipi mereatur, necesse est, ut  
ferat imaginem animæ Christi descen-  
dentis ad inferos, & de miseria, ac cap-  
tivitate educatur afflictos; seu quate-  
nus illam in Eleemosynam dedit, &  
pretium redemptionis nostræ. *Tradidit*  
*enim*

*Ambr. l. 7.*  
*in Lucam.*

*Job. 38. 11.*

*Aug. ser.*  
*29. ex 50.*

*Chrysost. h.*  
*23. in Ep.*  
*ad Heb.*

*Pecunia &*  
*miserer-*  
*dia efficit.*

*Luc. 12. 31.*

*Eleemosyna*  
*quid respicere debeat.*

*Isa. 53.*

enim pro nobis in morte animā suā. Quemadmodū Christus solā respexit miseriam nostram, & gloriā Patris sui, dans semetipsum in lytrum redemptionis nostræ; ita nos ad elargiendam Eleemosynam, solā indigentia pauperis, & amor Numinis incitare deberet. Sive itaque sit sacerdos, sive Religiosus, sive cognatus, nihil in illo aliud consideres, quam DEUM, ob quem, seu cuius gratia erogas; & miseriam, seu pauperiam ipsius, ut illi consulēs. Si oculos monetæ huic impressisti, quibus purpuram respiceres, vitasti aurum tuum, immutatus est color optimus, sanguis hic, quem respexisti, te tandem daturus est in ruborem. Si tubas itidem adjunxisti, misisti pecuniam tuam in sacculum pertusum; recepisti mercedem tuam in hac vita, in alia ultra non expectandam. Et si enim ingrata Eleemosyna non fit, quæ videtur ab hominibus; exosa tamen est illa, quæ ideo fit, ut videatur. Si solam remunerationem, & cognitionem respectas, Turcicos, seu Vallahicos, & Rigenses solidos, nihil profuturos coacervas. Nam si *benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia, siquidem & peccatores hoc faciunt.* Si itidem minuta, si accisa est, integritas ei defutura, quo minus recipiatur. Et si enim in paupere ad emendum cœlum obulus sufficit, diviti non sufficit. Ille intuitu conditionis suæ dat, quod potest, tu multo minus dispensas, quam possis. Quæ ergo paritas, aut æquitas intra utrumque? Si nihil das, ferrea es moneta; *ferrea* (quod de epulone detonuit S. Chrysologus) *viscera in crudeli nutris anima.* Certè aurum nullum est, ubi misericordia exu-

lat, sed scoria, & rubigo flammis deputata. *Qui clausit, ait S. Joannes dilectus Domini discipulus, viscera sua ab eo (paupere nimirum) quomodo charitas Dei remanet in eo? Qui non dat ingenti panem suum, quomodo ex charitate daret animam suam.* *1. Ioan. 3. 18.*

## §. III.

*Tertia moneta apud Cœlites  
usitata Oratio.*

XI. **M**ONETA tertia juxta eundem *Oratio moneta.* Doctorem est Oratio. Hæc si rite fiat, vere aurea est, & apud superos receptissima. Quippe hæc prope sola potissimum præscribitur, eaque ut plurimum ad cœlestia munera impetranda utimur.

Vulgariter dicitur: Qui pecuniam habet, omnia habet. Aurum quilibet habet superos mercatur & astra. Quidquid oculis delectabile, quidquid cupiditati acceptabile, quidquid deliciarum, quidquid cupidiarum, quidquid palato acceptum, id omne, vel ab ultimis Americæ partibus asportatur, & ad tinnitum pecuniarum advolat. Idem ego edico de oratione, hanc quisquis tenet, omnia obtinet; superos mercatur, & astra. Vincit erat Petrus, plurimisque innodatus catenis; ubi autem hæc moneta deposita ab Ecclesia (*Oratio enim* *AA. 12.* fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo) illico eum solvit & è carcere liberissimum eduxit. Demersus in profundum maris Jonas; *Et oravit ad Dominum Deum suum de ventre piscis; &* *Iona 2. 2.* dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam. Oppressus erat David angustiis, & miseris à persequente se Domino tuo, & cum tribularetur clamavit *ad Dominum, & Dominus exaudivit* *Psal. 106. 6.*

*Eleemosyna personata.**Luc. 6. 33.**Chrysol. 121*

enim. In necessitate constituti alii, & ea interveniente, liberati sunt. Quippe; Omnipotens cum sit oratio omnia potest, & parem cum Diis vim obtinet. Stemma ipsius sagitta Domini est cum Lemmate: *Assequitur quodcumque petit.* Nubes penetrat fulmine ocior, saxa, & rupes pervadit. Inestimabilis item cum sit, magni penditur à cœlitibus. Uno suspirio decem millium talentorum debitum solvit; uno anhelitu cylindros gratiarum mercatur; uno pio ditat desiderio. Aurum hoc liquefit, quum animus ad orationem disponitur, & à scoria peccati emundatur; cuditur, quum pectus tunditur, aut cor conteritur. Imago imprimitur quum mens ad Deum elevatur; igni affectuum exardescente, & exstuantem.

XII. Nec proba hæc moneta est, nisi in se imaginem verbi eodem docente Cardinale contineat. In quo? aut qua ratione? Docent Theologi ex cognitione deitatis, ac rerum omnium possibilitium gigni, & una cum Patre æterno spirare spiritum sanctum. Ad eundem prope modum sese habere debet oratio nostra. Imprimis procedat ex cognitione supremæ, divinæ majestatis, quæ invocatur, & colitur. Quò enim major futura illius cognitio, eò etiam elevati-  
or subsequutura reverentia, ac devotio. Ut enim qui hominem summam quempiam esse ignorat cum quo sermocinatur, minus illi honoris defert: pari ratione quisquis immensam illam majestatem minus sibi obiicit, minus illam adorat, veneraturque. Deinde spiret Spiritum S. seu amorem divinum, eum summa & affectuosa Deo sese conjungendi promptitudine, ac desiderio. Proprium enim orationis munus

est, spei firmitatem, & incrementa tribuere; dum videt se tam facile compositum fieri; & charitatem inflammare ad verum eum, à quo tot, tantisque cumulatur beneficiis. *Quid est autem Oratio,* inquit D. Augustinus, *nisi ascensio de terre. Augustinus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. Oratio conjunctio est Spiritus Sancti. Ipsa conglutinat Deo, & assistere se Domino gloriatur; ipsa attrahit illum ad se, seque illi per invocationis affectum vicissim tradit, ac conglutinat. Hac imagine si cula, si expressa fuerit, oratio pervadet aëra, perumpet cœlos, & ad ipsiusmet Divinitatis admitteretur subsellia.*

#### PARS II. APODOSIS.

XIII. **S**UBSISTAMUS hic paululum, & ut alias monetam vulgarem ad calculos revocamus, ita hanc specialem, ac empyream discutiamus exactius. Fingamus nos evocari ad reddendas rationes, ad computandos proventus, & lucra facta ex talentis à Domino concreditibus. Statuamus Angelum Tutelarem nos deduci ad tribunal Domini, & ibidem quasi effuso pretio, & lucro dicere: *Ecce homo, & opera ejus.* Hæc est monetam ipsius, hæc fecit, tulitque lucra. Quantum tunc quæso divitiarum cumulum ostentaremus? Quantum thesaurum collegisse ex jejuniis nostris, Eleemosynis, orationibus, gloriari possemus? Fateor non deesse qui sese macerent, corpusque extenuant jejuniis, qui ciliciis, aut catenis, tanquam lapato coercent; disciplinis dentatis tanquam calcaribus ad bonum incitent, qui aliis graventur crucibus. Verum enim verò si monetam hanc ad Lydium lapidem carnis Christi periclititer; vereor, ne plus adulterinam, quam



quam probatæ inveniam. Quæ enim patientia nostra in adversis, in doloribus, infirmitatibus, in calumniis in nos effulis? Quis jejuniorum tenor? Ita jejunamus, ut semper saturi simus. Sæpius non tam temperantia, quam gulæ in abstinentiis militamus. Ordinatur patinaria acies, non ad ædificationem, sed subversionem jejunii. Præcedit phalanx cum croceo vexillo; sequitur alia, in niveo, griseo, nigro, ceruleo; succedunt demum alia, atque alia Ungaricæ, Turcicæ, Gallicæ, Italicæ cohortes. Quid in his tutum temperantiæ? Commituntur velitationes idque Herculeis carchæsis; quibus cum Libero Patri liberrimè litant, capitis vertiginem in deditissimam subjectionem ad pedes usque demittunt. Et cujus hæc imago, atque superscriptio? Hæccine imago Christi jejunantis? Hæccine icon penitentis, & afflictæ animæ? O nos sideratos si nobis quasi de abstinentia cum tali fronte blandimur; si inter afflictionum spinas, rosas venamur; si mortificationes, si afflictationes, si jejunia tali forma, aut specie depingimus, quæ non nili in hoc carni Christi crucifixæ est similis, quod ejus imaginem reddat è contrario.

XIV. Verùm locupletiores forsitan erimus in metallo misericordiæ. Utinam id non ad ferrum propius, quam ad aurum, aut argentum accedat. Abfit à me ut culpam universos, Novi viros, novi scæminas, novi matronas misericordiarum, quorum pietas largissimis sese liberalitatis, ac beneficentiæ diffundit alveis; Quanquam & parum novit sinistra, quid faciat dextera. Experiuntur tamen proximi in proximis,

identidem non tam viscera misericordiæ, quam ferrea tenacissimæ avaritiæ. Mallet alter dare animam suam; (mammonæ utique non Deo) quam nummum unum alterumve pauperibus erogare. Notantur perinde, ac Leones in pauperes stipem emendicantes inflammari, stomachari, exprobrare defectus ipsorum. Et hæccine, repeto, est imago, & superscriptio misericordiæ? Hæccine sunt lineamenta Abrahæ, sedentis in tentorio, & peregrinos præstolantis? Hæccine imago animæ Christi, pro nobis in Eleemosynam, seu litrum sese consecrantis? Non cuditur ab his numisma misericordiæ, sed diffilatur, non ditescit hæc ratio anima, sed depauperatur. Moneta hæc non cæli sed inferni est; non Christi, sed epulonis imagine signata.

XV. Restat ergo orationum nostrarum census, superest moneta verbo Dei signata. Hæc fortè abundabimus basilicè. Crediderim id ego, nisi paracharagmatica foret. Nemo enim Christianorum est, qui in dies singulos illam non cudat, qui mane, ac vespere eam non colligat. At quando eam pensulatiùs examino; quando observo bene multos non tantum pudoris, ac reverentiæ Regi cælorum, adorandæ semper majestati deferre, quantum servi Dominis suis carnalibus, aut milites ducibus, aut amici amicis; quando audio alios non tam Deum in vota, quam terrena commoda vocare, quando ex næmet disco genibus humi positus, & ore temerè inaniterque garriente, mentem per ædes, per fora divagare, & nescio quæ inania simulachra proponere, dicere vel contra

Ooo ;

memet

Luxus ciborum & potus.

Orationum defectus.

Avaritia taxatur.

metuet sententiam cogor, non tam in monetaria, quam potius in taberna versari; non tam cudere motetam ad exolvendum debita, quam ad multiplicandum eadem. Ut proinde verè sanctus ille enuntiaverit: si Numen optimum solas irreverentias, ac defectus in oratione committi solitos vindicare vellet, sufficientissima ex iis habere fundamenta, ac causas, ad nos in æternum fulminandos.

Eheu quantopere itaque nos percelli par est, ne nobis subinde exprobrat, ut quondam Angelo Laodiciæ; *Tu dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Tu arbitraris te multa collegisse in jejuniis tuis, Eleemosynis, orationibus tuis, & ecce deprehendo te pauperem, mendicum, destitutum omni proba moneta. Quam timendum, ne nobis idem eveniat, quod Balthasari in urnis divinis appenso. Inventus est ille minus habens, & regno exutus, invenientur forsitan non pauci ex nobis quibus idem exprobrabitur, idemque manet decretum. Quam reformidandum, ne ut quondam reprobravit Judaicam monetam proscripsitque eam dicens: *Argentum reprobum vocate cor, quia Dominus projecit eos: ita & nos subinde externet: Argentum reprobum vocate eos.* Adulterina hæc est moneta, ementitū ac flatile aurum, non est facies mea in illa, non est digna thesauro meo, projicite eam in sufflatorium clibanis ignis inextinguibilis. Reddite illam Cæsa-

ri suo, principi tenebrarum.

Quod si ita est, quid spei habere possumus, ex nostra tam falsa, tam adultera moneta. Si paracharacta quispiam, si falsarius monetæ inveniretur nonne is reus læsæ regis, aut Cæsareæ Majestatis haberetur; nonne scelus suum exquisitis eluere cogereur suppliciis? Tam enormis apud mortales monetæ falsificatio est; ut si princeps in aliquo triumpho, aut publica solemnitate remittat omnia crimina; falsarius minimè comprehendatur. Ergo cum tantopere vindicetur id scelus in moneta transitoria, terrena, lutea, quantopere non vindicabitur in cælesti, spirituali, pro æternorum bonorum possessione, & hæreditate cumulanda?

Quid itaque agendum? Ecce Bnignitas Dei ut nos ad pœnitentiam adducat in patientia præstolatur nos, monetque ut deinceps adulterare monetam caveamus, ut dum tempus est probatam cudamus, & accuremus. In hunc finem offert imprimis monetariam officinam, templum suum, in quo eandem conficiamus, offert matricem formam Christum, quatenus eum imitemur, sufficit malleum timoris, quo eam excudamus. Satagite itaque, ut per hanc monetam bonorum operum, certam vocationem vestram faciatis; ut eadem possessiones regni cælestis mercari, & obrinere mereamini.

Fiat Christe JESU tuo Numine,  
tuâ gratiâ & benedictione.

Amen,

CON-